



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

lesu Christi Annus. M.DC.LXVII. Sancti Patris Benedicti. M.C.LXXXVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

ria quasi Nova, & reuera tanto Pontifice fortunata & gloriosa redderetur. Profecit eo in honore tanta animi demissione, ut in usum omnium pauperum cederet, omnibus in seruiret & in seruire gestiret, verè mirabile nostra ætate exemplar veri Episcopi, & in se redhibiti B E N E D I C T I R E D I V I V I.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. LXVI.

Sancti Patris Benedicti. M. C. LXXXVI.

Percellit Iraliam & Europam universam in tanta temporum obscuritate, veniens è Cælo cælesti lumine fulgidissima Regum Regis dono memorabili in pignus singularis gratiæ Sponsæ in terris noviter electa Gemma planè incomparabilis, sive monile omnia Regum & Cæsarum donaria longè exsuperans. Tali dignatus est dono summa DEI Majestas Virginem Benedictinam in oculis suis abjectissimam Venerabilem Mariam Joannam Bonhomiam Abbatissam lectissimam, cuius collo torquè item auro cælesti fulgidum & admirandum iniecit, & huic appensum monile tam pretiosum tam evidenti dilectionis signo amorem suum in facie præcipitis in extremum exitum Orbis contentatus, ut nemo satis sive dignitatè sponse hujus, sive dignationè Numinis admiretur, facile autem æstimet, quantis juxta hanc gratijs prævertèrit, tantam tamque singularè suæ benevolentiae attestationem. Fuit gemma hæc, vivacissimæ Virtutis, & Divino quasi animata Spiritu, intima etiã animi penetrans sensa, ita ut si vel levissimo quovis peccatillo, sive negligentia remissior tantæ sponse dilectio interpesceret, gemma illico intima cordis proderet, & caligine quadã miro modo inductã Joannam tantoperè detereretur, ut sponsi delicatissimi displicentiam haud obscurè adverteret, móxq; poenitendo & quantulumcumq; offendisset, tantoperè deplangeret, ut penè tota contabesceret, ac per Confessionè & Satisfactionem inexplicabili animi contritione, demissione & deprecatione suppliciter sponso suo, veniã & remissionem exoraret, donec splendor ille Divinus monili redderetur. Quæ res quàm cauram deinceps Joannam reddiderit, quantopere amorem, devotionem, perfectionisq; studium exacuerit, quantum vires exeruerit, ominari

*V. Maria
Joanna
Bonhomia
Cælesti donatur
monili.*

facilius est quàm exprimere. Cujus ob hoc ipsum in omni Virtutù genere tantus progressus fuit, ut miraculum sanè postremæ ætatis hujus esset, sponso nõ minus in ipsa excolenda satagente, quàm ipsa ad summum ejus benè placitum sese adaptante, e jusq; arbitrio subijciente. *Ex vita eiusd. diversis locis excusa.*

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. LXVII.

Sancti Patris Benedicti. M. C. LXXXVII.

Invalescenti nimium inexplicabiliter infanda & execranda maleficorum, *DEUM* Ipsum salutemque suam ejurantium, totosque cacodæmoni se consecrantium, Eucharistici inprimis Sacramenti hostium, conjuratissima multitudine, quin & pejore his ipsis veneficis sub pietatis & misericordiae prætextu Patrocinantium, sectæ obnitiuntur pro virili amplissima & sanctissima Congregatio Monialium Ordinis nostri à Venerabili Sacramento Cognominata, diesque ac noctes, hora nunquam interrupta *DEI* misericordiam ardentissimis precibus exorat pro tantis injurijs non tantum indignè sumentium & blasphemantium, sed vel maximè, plusquam diabolico ausu tantum Sacramentum in terrâ abijcientium, in Choras diabolicas trahentium, pedibus tanto Numini insultantium, in stercore, urinam, flammam inijcientium, conspuentium, transigentium, lacerantium, & talia facinora impunè tolerantium, imò impunè tolerari sub specie pietatis, ne cum maleficis innocentes comprehendantur, contententium; quasi vero solis delationibus fides adhibenda esset, & tor latrociniorum rei manifesto in flagitio deprehensum trahi ad supplicium non deberent, ne fortè innocentes in participium tanti sceleris traherent; quasi verò non constaret, delationes solas merito suspectas ab illusionibus diaboli esse, qui se non solum consueverit in Angelum lucis transformare, quin & sæpe Christi ipsius imaginè præferre, adeoque non in apparitionem simulatæ centies millies personæ innocentis, sed in solum deprehensum flagitium & maleficium, solidissimè inquirendum esse. Pro tantis, inquam, injurijs, *DEO* ipsi illatis, & humano generi, imò pecoribus & frugibus intentatis, avertendis & evertendis, placandaque justissima Numinis ira incessanter suspirijs, lachrymis, precibus, assidua tenuium

Congregatio à Ven. Sacramenti.

10.

animum corpuscolorum maceratione & castigatione sese Numini maectat & sacrificat Institutio & Congregatio praefata, & ut sperandum, tantum denique proficiet, ut comuni Catholicorum Principum consensu, in execrabiliorē omnium Hæresum ab ipsis Ecclesiae exordijs pestilentissimā luem solidior absque ullo periculo innocentium & inquisicio instituat & executio, ne infinita & innumerabilis innocentissimorum liberorum multitudo, ex pacto cū Cacodæmone inuito in ejusdē sceleris tracta exitū usque & usque idem in alios propagando, vel quos sibi adungere desperant, inexplicabili tormentorum saevitiae excrucient, sive profus immanissimè è medio tollant, omnemque & coeli & terræ benedictionem suis maleficis avertant. quarum calamitarum omnium promotores praecipui sunt, qui Inquisitioni Legitimæ & cautæ, sive respectu suorum, vel metū sumptuum, contra tam expressum *DEI* ipsius mandatum: *Maleficū non pateris vivere*, Maleficis contra Numen ipsum, & tantas *DEI*, & universi humani generis injurias patrocinantur, ut mirum omnino sit, non illico è caelis fulminari, quibus cūm Justitiæ administrandæ incumbat cura, non vereantur in tam manifesto mortalium periculo in tollenda tam pestilenti sibi totique humano generi lue, & *DEI* juratissimis hostibus communi consilio exscindendis; cūm ad hoc ipsam tam expresso *DEI* mandato teneantur, & corā hoc ipso tot centenorum millium seductorum & deinceps seducendorū rei de facto habeantur, utiq; pertinente ad se flagitio etiā post mortē suā ad usque finē saeculi in parem damnationem trahendorum. Ut proinde tantō plus debeat afflictissima Christiani Orbis necessitas tā piè affectis erga Venerabile Sacramentum ejusque deprecandis injurijs, quantō resentire magis optimus quisque debet, adeo infanda & detestanda ab ullo Christiano dissimulari, imo dissimulando promoveri.

REDIVIVUS proinde in his Benedictinis Virginibus Priscus ille Maleficorum triumphator Magnus Pater *BENEDICTUS*, per seipsum etiā hodie adversum maleficos rem fortiter agit, innumerabilia passim recentissimis & prodigiosissimis beneficijs maleficia

concessā sibi singulari à Numine potestate tollit, ita ut vel sola certis signata characteribus Benedictio, & chartis impressa, arboribus appensa, ædibus, agris, vineis inserta, jumentis in pabulo praebita, ingentia prorsus mala avertit, pecora curaverit, fruges & fructus conservaverit; uti oculatissimorum religiosissimorumque virorum oculatorum testium fide edocti sumus: & verò etiam quotidie experimur, ut Thaumaturgum hunc tantis & quotidianis miraculis *REDIVIVUM* se comprobantis nunquam satis miremur & deprecemur, & verè *BENEDICTUM* à tanta Benedicendi gratia & virtute Benedictionis in omni necessitate, & vel maximè contra tot maleficorum conjurata odia, & cacodæmonum tentamenta devotissimè exoremus, tantiq; Patris Benedictioni & tutelæ, nos ipsos, agros, vineas, ædes, cellaria promptuarum omnia nostra quàm devotissimè commendamus, & vel maximè tot innocentium parvulorum, à tot hostium salutis animæ & corporis insidiantium, technis, persuasionibus, & insidijs innumerabilibus cautū misericorditer velimus, Tanto tamque benefico Patri ejusque protectioni, in genere & specie eosdem committendo, ut à tantæ seductionis & maledictionis periculis praemuniantur, & eximantur.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. LXVIII.

S. P. N. Benedicti. M. C. LXXXVIII.

Intercepit medios rerum maximarū, aternisq; laudibus dignissimarū conatus mors praematura Reverendissimi & Celsissimi Principis ac Domini Domini Matthæi Ferdinandi Archiepiscopi Pragensis meritiissimi, Praelati omnibus numeris absolutissimi, viri cujus uti electione latificatus est Ordo Benedictinus universus, ita extinctione merito ingemens luxit. Certè magnum illum Antecessorē suum S. Adalbertum ut singularem sibi Tutelarem elegit, ita per omnia sibi imitandum censuit, omnique animi adnissu ad reformandam suam Archidiececesim incubuit, non tā redivivus copiosis, quàm lucris intentus animarum, pro quarū salute se totum impendere & expendere gestiebat. Pontificem indurus, Monachum nunquam exiit, sed tanto ferventior in perfectionis studio fuit, eā

S s z

vita

*Matthæus
Ferdinandus
Archiepiscopus
Pragensis.*